

[The following was copied, by the scribes of the White Trash Scriptorium, from *Ioannis Secundi Hagiensis Opera* (Utrecht, 1541). The accents of the original text were eliminated, and the contracted words spelled out in full. We made some changes to the spelling and punctuation. We also changed five readings in the text. These are: 2.33 *stringentem* for *strigentem*; 3.1 *turpe* for *turpae*; 5.75 *scilicet* for *ilicet*; ES 1.18 *uacillanti* for *uacillatim*; ES 3.51 *tepidum* for *trepidum*. A computerized student edition of this work, with glossary and notes, is available at our web site.]

Ioannis
Secundi Hagiensis
Elegiarum Liber primus, cui titulus
IVLIA.

“Pierides alius dira inter bella cruentet,
Vulneraque ingeminet saeua necesque uirum,
Cuius bis fuso madefiant sanguine uersus:
Hei mihi plus satis est quem cecidisse semel.
Nos puerum sancta uolucrum cum matre canamus,
Spargentem tenera tela proterua manu.”
Sic ego; sic fanti radiantibus astitit alis,
Cum face, cum cornu, cum iaculisque puer.
Fallor, an ardentes acuebat cote sagittas?
Anxius in uultu iam mihi pallor erat.
“Parce tuum,” dixi, “ferro terrere poetam,
Castra parat dudum qui tua sponte sequi,
Imperiumque potens, et regna patentia late,
Quae te spumigena cum genitrice colunt,
Carmine uocali patrias resonare per urbes
Aggreditur: tuus est, laedere parce tuum.”
Ille nihil motus, lunato feruidus arcu,
“Accipe quae,” dixit, “multa diuque canas,
Et non ignotae celebra nunc robora dextrae,
Formaque quid ualeat disce decentis herae.”
Vix ea personuit, sonuit simul arcus, et una
Cum iaculo in uenas sensimus isse deum.

ELEGIA II

Cum noua nascenti nerent mihi fata sorores,
Ducentes fuis stammina tortilibus,
Aureolis puer allapsus Cythereius alis,
Dixit, “In hoc puero sint mea iura mihi.

Fata canam uates; sacris absistite cunis;
Arbitrio uiuat deficiatque meo.”
Nec mora, procumbens sinuosum curuus in arcum,
Si parere negent, spicula dura parat.
Parent, et puerum diuae uenerantur, at ille,
Demulcens tenera stamina dira manu,
Risit, et “Alcides, specta haec, fortissime,” dixit,
“Et pudor antiquae cedat ab ore notae.”
Verba deinde leui recinebat blaesa susurro,
Qualis in arboreis sibilat aura comis.
Non equidem audiui, nutrix audisse putatur,
Et longum gelido diriguisse metu:
“Parue, sub ignoti lumen spirabile caeli
Edite, cura deum, nostraque cura, puer,
Parue puer, nostris mox sudature sub armis,
Haec praecepta meae suscipe militiae.
Cum tibi uernantes aetas exsurget in annos,
Curre lubens dominae mite sub imperium.
Haec tibi continget, thalamis quae digna deorum
Diuum te nitidis anteferet thalamis,
Quae tibi postponet quicquid legit India rubro
Gurgite, felici gramine quicquid Arabs,
Quaeque tibi gemmis et regum carior auro,
Ingenio uiuax surget in astra tuo,
Castalioque tibi promens argentea fonte
Pocula, formosa porriget ipsa manu.
Illius e claris me saepe stupebis ocellis
Vibrantem occultas in tua corda faces,
Spicula stringentem tacito letalia neruo,
Vt uenit ignota fulminis ira uia.
Parue quid, heu, lacrimis infantia lumina turgent,
Et concussa tremens horror in ora uenit?
Tempus in haec aliud, puer o dulcissime, differ,
Cum tibi tot causae, cur lacrimeris, erunt
Quotue sub arboribus, primis Aquilonibus anni,
Flauet deciduis tristis ager foliis,
Quotue per exultos hortos, in uere rubenti,
Decussis Zephyro floribus albet humus.
Sed tam nil durum, quod non tolerantia uincat,
Et magnum afflictis mentibus ingenium.
Victa soporatum dabit in tua bracchia collum,
Collaque languenti cinget amata manu,
Osculaque et quicquid superest post oscula dulce
Noctibus in longis continuabit amans.

Ergo iucundo patiens insiste labori,
Nec malus in portu desere nauta ratem.
Vulnificisque emissum oculis haurire uenenum,
Alternasque oculis disce mouere faces.
Disce gradum mediis suspensum ferre tenebris,
Et per dilectas ire, redire uias,
Et rigidos cithara postes mollire per umbram,
Sertaque cantatis addere cardinibus,
Dum nocturna tibi demulserit aura calorem,
Et matutinae collacrimentur aues.
Disce leui uarias nutu conferre loquelas,
Disce uerecunda uoce diserta loqui,
Qualia me docuit, per me tamen ante peritus,
Naso, Tomitana non tumulandus humo,
Quem mihi rectorem lasciuos mater ad annos
Legerat, effrenae conscia nequitiae.
Ille quidem famam Paelignis auxit amando;
Tu quoque cum Belgis non inhonorus eris.
Nec te longa premet caligo mortis opacae,
Nec teret obscuro te uetus urna loco.
Quae fax ante tuis stridebit inusta medullis,
Haec faciam cineres luceat ante tuos.
Tu modo semper ama, nec te taedebit amorum:
Dulcius his nostri nil habet aula Iouis.
Saepe quidem infensus nostris fuit ille sagittis,
Et, memini, nuper dira minatus erat,
Arcumque et pharetram fregisset, at optima mater
Nostra sub arbustis condidit arma Paphi.
Mox tamen ille ferox ter mille per oscula supplex
Orauit de me uulnus habere nouum.
Quid Tyrius sine amore torus? Quid mensa Falerno
Vda? Quid auratis nixa domus trabibus?
Quid iuuat Assyriis in odoribus elanguentem
Seu sopor ad citharas seu leue murmur aquae?
Omnia nil sine amore iuuant, sed amore secundo
Et sopor in dura blandus humo trahitur,
Omnis et Assyrium tellus aspirat amomum,
Et uincunt humiles tecta superba casae.
Nil tibi sit terrae tractus aut dicere caeli,
Tethyos aut tumidas rauca sonantis aquas,
Quidue per occasum, quid signent astra per ortum,
Quaeque tenent medium, summa uel ima, locum,
Neu cantare tui uictricia Caesaris arma,
Progenies matris sit licet ille meae,

Sed faciles elegos lento deducere uersu,
Qui ualeant nostram uincere mollitiem.
Tunc ego te croceis euectum ad sidera pennis
Parnassi sistam culmine conspicuum;
Quem tibi si Paeon simul et suaserta negabit,
Monte Cytheriaco myrtea sertageres.”
Haec ter Amor cecinit; Parcae assensere canenti;
At Venus excelso risit ab Idalio,
Et natum miti uenientem fouit in umbra,
Quaque odor e nardo, quaque odor e casia,
Eque rosa Zephyri uitales imbuit auras,
Gramen et irriguas palpitat inter aquas.

ELEGIA III

Si quis erit iuuenum, dominae qui turpe putabit
Vincula in ingenuo pectore serua pati,
Ille quidem certe quid sit Venus ignea nescit,
Et nondum ueris incaluit facibus;
Illius obrigit glaciali frigore pectus,
Qui tam dulce pati seruitium renuit.
Non onerosa mihi, non est formosa pudori:
Formosas dominas Iuppiter ipse tulit.
Eheu, quam mea me caeca face Iulia torret!
Non sic assiduis ignibus Aetna calet,
Nec tanto uenas consumitur aridus aestu
Mole sub Aetnaea conditus Enceladus.
Sic agitur primo iuuenis furibundus in igne,
Cui iecur ignoto laesit Amor iaculo.
Nos tamen hanc lente, cum sit formosa, feramus,
Et demus uictas uincla sub arcta manus.
Scilicet est aliquid specioso carcere claudi,
Et iuuat aurata compede posse premi.
Illa mihi leges uictrix praescribat, et in me
Regia formosis sceptragerat manibus.
Illius imperio uentos patiemur et imbres,
Ibimus et solas nocte silente uias.
Nec graue frigus erit, nec solstitium, licet in me
Feruidus ingeminet sidera sicca puer.
Illa uolet comitem sibi me quocunque, sequemur,
Qua uia nulla rotae peruia, nulla rati.
Illa meas torret, et torreat usque medullas:
Prompta tibi sint hic spicula, sancte puer.
Nec mihi deficiat calor hic hiemantibus annis,
Nec me cum tenebris obruet atra dies.

Tunc detur tremulis illam manibus complectar,
Et fugientem inter basia fundam animam,
Quae tunc purpureis labris remorata resistet
Forsan, et inceptum laeta redibit iter,
Spernet et Elysias sedes, uallemque beatam,
Prae tam mellitae basiolis dominae.

ELEGIA III

“Maius alit frondes; Maio sine fronde uirenti
Ire nefas: mos hoc, lux mea, priscus habet.
Ergo, age, certemus: tibi, me sine fronde reperto,
Munus quod niueum pectus adornet erit.
Corporis o felix illa quod sede fruetur,
Cuius ab aspectu gaudia mille fero!
At tibi lex haec sit, folii uiridantis ut orba
Oscula cogaris mox dare pauca mihi,
Oscula quae possint fugientem sistere uitam,
Restet ubi nullis spes medicaminibus,
Pallidulamque animam Stygiae subducere lintri,
In non concessas et reuocare uias.”
Sic ego; depresso sic lux mea rettulit ore
Pauca, sed argutis multa loquens oculis:
“Basiaque et mea quo iurabis basia uinci
Accipies aliquid, si modo uictor eris.”
Dixit, et os auidum roseo mihi molliter ore
Pressit, et “Hoc cape nunc, cetera uictor,” ait.
Victor ero certe, nec opem, Cytherea, negabis,
Si tua, si nati numina sancta colo.
Tunc ego lasciuiae potero contendere uiti,
Quae se uicinis implicat arboribus;
Nec me hederæ uarius superabit in ilice nodus:
Bracchia erunt collo sic mea nexa meae.
At uos, purpurei reges, ignoscite uicti;
Risus erunt uestrae tunc mihi diuitiae.

ELEGIA V

Vna meas igitur uersabit femina curas,
Vnaque mi risus, unaque fletus erit?
Vna mihi dulces facies moderabitur annos?
Quos mihi Persephone non uolet esse diu.

Nam seu dura meos illa auersabitur ignes,
Seu facilem sese dat mihi, morte premor:
Nec mihi uita potest duci sub amore sinistro,
Inter mortales nec locus esse deo.
Sed potius moriar te te, mea uita, tenendo,
Inque tuos humeros funera nostra cadant,
Funera de tereti melius pendentia collo,
Quam si sublimi de trabe nexa forent,
Qualis Anaxaretes fastum puer ultus amarum,
Flebile curuata fauce pependit onus.
Exitus aut sic est, aut sic sperandus amanti.
O natum tristi sidere quisquis amat!
Sed tamen in melius haec omina tristia uertent
Lumina, sidereis quae mihi pro facibus,
Aspectu laeto, torua seu luce, negantque
Dantque frui uita, dantque negantque mori.
Quaeso, negate mori, uitam date lumina, quaeso:
Non sum de cuius morte triumphus eat.
Labra columbatim committe corallina labris,
Nec uacet officio linguaue densue suo.
Et mihi da centum, da mitia basia mille;
Da super haec aliquid, lux mea, numen ero.
Nec super haec aliquid, nec uis dare basia pauca,
Labra nec humidulis continuare labris,
Notaque nec dentis nec sunt tibi proelia linguae,
Exsuperas Latias et tamen ore nurus.
Quas superas facie, iam iam superabis et arte,
Dent modo di nostris uersibus esse fidem.
Nos neque Chaonii uincet lasciuiam nidi,
Nec Iouis omniuoli deliciosus amor.
Nam tibi quid prosit faciem corrumpere rugis?
Hae uenient fronti, nec mora longa, tuae.
Quidue superciliis oculos onerare nitentes,
Nec tota nigras spargere fronte comas?
Tempus erit, cariosa specu cum lumina condēs,
Canus et in gelido uertice crinis erit.
Tunc frustra labris pallentibus oscula quaeres,
Atque aliquem obtusis figere luminibus.
Nulla corona tuos ornabit florida postes;
Cantabit muto limine nullus amans.
Quin potius, dum fata sinunt, et nigra sororum
Stamina, uerque uiret nobile, carpe rosas;
Quae nisi carpentur, languebunt sponte, cadentque
Et stabit lapsis spina inhonora rosis.

En tibi qui tecum redolentia munera carpet,
Tecum florentes et parat ire uias.
Sparsa Dionaeo uiridaria rore teremus,
Visemusque hortos, Flora decora, tuos.
Illic et uiolas, et purpureos narcissos
Decerpes teneris molliter unguiculis.
Ipse tibi nectam uario de flore corollas,
Imponamque tuis, Iulia, temporibus;
Iamque sub umbrosa recubabis languida myrto,
Et modo me celeri laeta sequere pede;
Iamque colorata prouoluar lentus in herba,
Et modo te celerem per loca laeta sequar.
Interea has flammis mihi si duplicarit eunti
Inuidus aurata Cynthius e specula,
Tu, tu, sola meis iucunda caloribus aura,
Humida de roseis flamina funde labris,
Quae suscepta mei fornacibus oris anheli
Vsque sub ambusti pectoris ima meent,
Restinguantque rogum, quem nec uaga flumina terrae,
Tota nec exhausti frigeret unda maris.
Lumina cui seruas aurum iaculantia purum?
Cui teretes digitos, artificemque pedem?
Fascia lacteolis cui stat distenta papillis?
Cui risus et cui mollia uerba paras?
Cuius dispositus nutritur crinis in usum?
Oscula felicitatis cuius erunt domini?
Scilicet ingrato seruaueris omnia nautae,
Lethaeam ueteri qui rate uerrit aquam.
Huius ab amplexu uenies ad basia Ditis,
Maxima tergeminae cura timorque deae.
In te turba ruent aevi uiolenta prioris,
Luminibusque cauis, pallidulisque genis,
Et Paris, et Theseus, et non bene fidus Iason:
Haec ueniet formae maxima fama tuae.
Quare ne tibi sit tanti regalibus umbris
Posse frui, ut uiuus sim tibi uilis ego.
Te iuuat in nostris positam languere lacertis;
Me iuuat in gremio, uita, cubare tuo,
Et cum suauiolis animam deponere nostris,
Eque tuis animam sugere suauiolis,
Siue meam, lux, siue tuam (sed sit tua malim)
Ipse tuo ut spirem pectore, tuque meo.
Tali uernantem satiemus amore iuuentam:
Mors uenit aeterna cincta caput nebula.

At uos qui iuuenes suspiria nostra notatis,
Et fractos oculos, et sine mente gradum,
Ebria ridentes nullo cum pondere uerba,
Et si quis subito uenit in ora color,
Postmodo dicetis, "Non infeliciter arsit,"
Praemia cum nostri nota laboris erunt.

ELEGIA VI

Nunc mihi Praxitelis digiti, nunc Mentoris essent,
Nunc Lysippeae, Phidiacaeque manus!
Iulia namque meo sculpi cupit aurea caelo,
Nec tantum in libris nomen habere meis.
Non ego sum, fateor, caelestem effingere formam
Qui ualeam, at dominae spernere iussa nefas.
Non ego te, mea lux, faciam de marmore duro:
Illa decet rigidum materies animum.
Quin et caela tuos formabunt aurea uultus:
Non facit ad molles ferrea lima genas.
Iam iam fama meis maior uenit artibus; ipsam
Sculpere mi uideor caelicolam Venerem.
Sed dum te uideo, et propius tua lumina specto,
Aemula Phoebeis lumina luminibus,
Ferre negant oculi iaculantem spicula uultum,
Caelaque nota negat languida ferre manus.
Deficit, et torpet, nec iam sibi conscius artis
Vilius est animus, nec memor ipse sui.
Ah, nulli fas est mortali effingere diuas!
Mens cadit, obstupeo, heu, et mihi surripior.

ELEGIA VII

Insidiose puer, maternis saeuior undis,
Hacne tuus uates fraude petendus eram?
Tu mihi iussisti, numeris leuioribus irem:
Assumpsi faciles ad tua iussa modos,
Materiesque mihi curuato uenit ab arcu
Longa, sub undenos digna uenire pedes.
Vix opus incepti; dominam, puer improbe, tollis,
Ducis et externas in mea regna manus.
Et nunc ille uenit diuersa rusticus urbe,
Praetendens sancti foedera coniugii,
Scilicet ut diris faciat sponsalia uerbis:
Impediant illi picus et anguis iter,

Et cornix inimica uiis, et limine primo
Sentiatur offensus signa sinistra pedis!
Quae si non possunt illum terrere, quod opto,
Accipiat, diuini quod monuere, malum,
Subque rota ponat odiosam in puluere uitam,
Multaque proiecti uiscera carpat auis,
Aut mergatur aquis, et monstra natantia pascat!
Quanta deo pelagi tunc ego dona feram!
Sic nec in amplexus ueniet nec in oscula nostra
Improbis, et sceleris gaudia nulla feret,
Et iuuenes alios uiolenta sorte monebit
Vatum deliciis non temerare manus.
At tu, siue tuos ignes transmittis in illum,
Iulia, siue magis te tua fata trahunt,
Infelix nimis, et querulo mihi carmine flenda es,
Cogeris ignoto quae comes ire uiro,
Et te captiuus hominum miscere cateruis,
Eque breui uerbo ferre perenne malum.
Ah poteras, lux, ah poteras ius dicere nobis,
Oreque formoso regia uerba loqui,
Inque meo uersu sublimia regna tenere,
Prima fidis nostrae gloria, serus honos,
Inque puellarum, quas olim carmine uates
Laudauere pii, nomen habere choro,
Qualis quae falso Nasoni dicta Corinna est,
Deliaque, et Nemesis, et bene culta comam
Cynthia forma potens, nec non tua, Galle, Lycoris,
Quarum immortalis forma perenne uiret.
Digna quoque haec facies quae carmine longa uideret
Saecla, nec in cineres omnis abiret, erat,
Vt sciret nostros aetas uentura furores,
Et tam formosam non uiolasse fidem,
Et culti iuuenes, non incomptaeque puellae,
Expertae dulcem militiam Veneris,
Myrteaserta tuo ferrent uiolasque sepulcro,
Diceret atque aliquis: "Sit tibi terra leuis!"
Et poterant aliquid nostrae praestare Camenae,
Fata nisi obstarent, et male faustus Hymen.
Non quia Vergilio primos concessit honores
Posteritas, Flacci spreuit iniqua lyram,
Aut male reiecit, quem protulit Umbria, uatem,
Sola cui longum Cynthia carmen erat.
Paeligni uiuent opera ingeniosa poetae,
Rectorem nato quem Venus ipsa dedit.

Nec te longa dies delebit, culte Tibulle,
Ignibus atque arcu dum potietur Amor.
Nostra quoque adueniens si non his inseret aetas,
(Quod sperare pudor sit mihi, sitque nefas)
Non tamen obscura damnabit nomina nocte.
Fallor, an hoc olim mi dea pollicita est,
Fragrantem quae nexa comam myrtoque decora
Vadit inaequali conspicienda pede?
Quam bene priscorum currebat uita parentum,
Ingenuae Veneris libera sacra colens!
Nondum coniugii nomen seruile patebat,
Nec fuerat diuis adnumeratus Hymen.
Passim communes exercebantur amores
Omnibus, et proprii nescius orbis erat.
Ense maritali nemo confossus adulter
Purpureo Stygias sanguine tinxit aquas.
Anxia non tenuit custodis cura puellam;
Nulla erat inuisis clausa domus foribus,
Nec sacer agricolis stabat lapis arbiter agro,
Trabsque procellosum nulla secabat iter.
At postquam domibusque fores, foribusque subiuit
Clauis, et aequoreas nauita spreuit aquas,
Non dubitans animam tenui concredere ligno,
Externas fragili puppe secutus opes,
Discretique nouo iacuerunt limite campi,
Indixit leges et sibi quisque nouas:
Scilicet ex illo sensit fera iura, iacetque
Clausa pedem dura compede serua Venus.
Mortales, sceleri leges praescribite uestro,
Innocuam uinclis nec cohibete deam.
An quia Lemniacis semel est elusa catenis,
Digna erit a uobis quae grauiora ferat?
Tempora, si fas est, iterum primaeva redite,
Falciferoque iterum sub sene mundus eat.
Inscia tunc rastro, tunc uomeris inscia curui,
Sponte sua segetem terra benigna feret,
Et repotent iterum desertas numina terras,
Et fruar, o, longum tutus amore meo!
Interea qui falce meas inuadere messes
Ausus es, ut uoto iam potiare tuo,
Assiduis uersuta dolis te rideat illa,
Nec tibi componat se, faciemque suam,
Sed iuuenum gregibus studeat formosa uideri:
Sic miser et nulli commiserandus eris.

Quippe nec indignum fecisse putabitur ulli,
Si fugit amplexus bella puella tuos,
Si fugit hanc faciem qualem Medea gerebat,
In natos gladio cum ruitura stetit.
Hanc tamen illa potest pacato cernere uultu,
Nec sput, obducta nec tegit ora manu?
Hanc spectare potes? Corpus potes illud amare,
Iulia? "Sed capitur," dicis, "amore mei."
Non ardens amat, et amat non dignus amari,
Et sunt mille alii, quos tua forma rapit.
Iamque diem uideo properantem, cum tuus illi
Et grauis aspectus et graue nomen erit.
Iulia, tum lentas producens frigida noctes,
Optabis nostras in tua colla manus.
Iulia, non ueniam: ueniet, querulumque subibit
Ille, peregrino lassus amore, torum,
Et tecum, mea lux, meliori digna cubili,
Vallatus densa ueste iacebit iners.
Tunc potes aeternis hoc unum poscere uotis,
Vt properent longas Fata tibi tenebras.
Parcite, Fata, tamen: formosas perdere crimen;
Gloria uos alia de nece magna manet.

ELEGIA VIII

Ergo dies uenit, qua se formosa mariti
Dedet in aeternum Iulia seruitium,
Qua nostras alio cogar traducere flammis,
Qua delenda animo est illa adamata mihi
Quantum nulla fuit, quantum nec amabitur ulla,
Seu me uita breuis, seu diuturna manet.
Iamque peregrinae committit foedera dextrae,
Foedera quae diui iam uiolata uolunt.
Mox dapibus leuibusque dies peragenda choreis,
Et sine me tota est; tota sit atra, precor.
Phoebe, coloratum, si te bene credimus olim
Esse sacris patrem uatibus, abde caput.
At tu tela manu iaculare corusca rubenti,
Iuppiter: hac sola luce sit alba dies.
Tuque Iouis coniunx, quantum connubia cures
Talia, demissis annibus ipsa doce.
Fallimur, an certe condit sua Cynthia ora?
Condit, et obscura nocte teguntur agri.
Praecipitantur aquae; mare pendet in aëre densum;
Ignibus excussis dissiluisse poli.

ELEGIA IX

Petre, sodalicii pars sincerissima nostri,
Felix Maclinia cui licet urbe frui,
Me tenet Augusti celebris Bruxella triumphis,
Fontibus aeternas quae iaculatur aquas.
Hic mihi nec desunt, gratissima turba, poetae,
Nec quibus a lingua diuite uenit honos,
Quorum posteritas operoso grata labori
Nomina sub longa luce uidenda dabit.
Hic ueterumque manus animato miror in aere,
Subque meum aspectum turba togata uenit,
Multaque quae gentis aequant miracula priscae,
Quae modo Romulidum daedala mittit humus.
Scilicet argutis urbs haec me ponit Athenis;
Scilicet hic media sistor in Ausonia.
Mille uel hic oculos possunt retinere uel aures;
Nulla tenent aures, nulla tenent oculos.
Non queat hoc alius praeter te credere quisquam;
Forte nec ipse queas credere, crede tamen.
Nimirum nostri iampridem conscius ignis,
Vna geris mecum pectore tela tuo.
Vnius ex oculis fax est accensa puellae,
Qua iecur Idalius torret utrique puer.
Quae tua si forsan leuiter praecordia lambit,
Quam tibi duritiem pectoris esse putas?
Mi neque lux, neque mi noctis leuat umbra dolorem;
Vror, et in uenis flebile uulnus alo.
Semper in absentes suspiro maestus amores
Inque Cupidineae moenia Macliniae;
Illa sed abscessit, peregrino iuncta marito,
Qua uoluit uirides in mare Scaldis aquas.
Abscessit: doleo. Quid tum? Vestigia restant,
Et loca quae nobis gaudia longa dabant,
Et si istic fuero, fuero uicinior illi.
Esse putas haec tu ludicra? Magna loquor.
Tum quam multa foro noua sisteret esseda uesper,
Noxque rates tarda sera referret aqua,
Ipse rates omnes audax speculator obirem
Cunctaque defixis esseda luminibus,
Si quae forte meam mihi redderet hora puellam,
Seu uectam Veneris suaue sonante rota,
Seu raptam tereti uada per crystallina concha,
Seu lapsam roseo Cypridis e gremio.

Nam neque te retinet coniunx tuus, aut tibi longis
Noctibus incumbit, Iulia, pondus iners.
Te Venus Idalios inter fouet aurea lucos
Et Venerem geminam nunc locus ille colit.
Supposuit pro te scortillum turpe marito,
Affluit uultus cui decus omne tui.
Barbarus ingratis illam complexibus urget;
Teliger intactam te mihi seruat Amor.
His ego solarer curas, dum tempora nobis
Tarda fluunt, aegras inter amarities.
Hoc quoque (nam poteris plures admittere causas)
Visere Macliniam cur properemus, habe.
Inter finitimas (experti credimus) urbes
Illa sibi formas uindicat: illa daret
Forte nouas flammis, ueteres quae pellere possint,
Hei mihi, sed uereor (di prohibete malum)
Ne calor hic alia possit consistere sede:
Hactenus hunc certe Iulia sola tenet.
Candida quantumuis, et non deformior illa,
Et uersatilibus ebria luminibus,
Saepe meos oculos in se Domitilla moretur,
Oscula quae facilis ad mea sponte uenit.

ELEGIA X SOMNIVM

Ite procul, maestum lacrimae genus, ite querelae,
Et comes aligeri cura uigil pueri;
Cinge triumphantes uictrici fronde capillos,
Laurea Phoebeae grata corona comae.
Misit in amplexus illam Venus aurea nostros,
Prima mihi quae fax, quae mihi serus amor.
Non fora, non portus, non iam populosa theatra,
Templaque sunt nostris conscia blanditiis.
Mater abest, digitis legem quae ponat et ori,
Et cogat tremulo murmure pauca loqui,
Osculaque aridulis non continuanda labellis
Carpere, quae iuret barbara, quisquis amat,
Et celare faces, et amici obtexere nomen,
Multaque quae sollers fingere discit Amor.
Sola iacet mecum semoto Iulia lecto,
Sola tamen solos non sinit esse Venus,
Et puer, unanimes comitatus in omnia uitas,
Certus et exanimis, certus et ossa sequi.
Forte uident et nos, qui spectant omnia, diui,
Deliciis nostris inuidiosa cohors.

Di, precor, o, nostris ne lusibus inuideatis;
Non ego nunc uestris lusibus inuideo.
Iulia, te teneo: teneant sua gaudia diui.
Te teneo, mea lux, lux me, te teneo.
Iulia, te teneo: superi, teneatis Olympum.
Quid loquor? An uere, Iulia, te teneo?
Dormione, an uigilo? Vera haec, an somnia sunt haec?
Somnia seu sunt, seu uera, fruamur age!
Somnia si sunt haec, durent haec somnia longum,
Nec uigilem faciat me, precor, ulla dies.
Et quicumque meo pones uestigia tecto,
Parce pedum strepitu, comprime uocis iter.
Sic tibi non unquam rumpant insomnia galli,
Tardaue productae tempora noctis eant,
Plurima cum rubris tibi gemma legetur ab undis,
Pactolique domus tota liquore fluet.

ELEGIA XI

Hos tibi, sancte puer, primos sacrauius ignes,
Has tibi primitias dedico, sancta Venus,
Di, quorum nostri uiuent sub nomine uersus,
Saepe colenda Venus, saepe colende puer.
Hactenus optato dant indulgere furori
Et mos, et leges, purpureusque pudor,
Hactenus et, credo, uos me uoluistis amare:
Iamque mihi iaculi ferte medentis opem,
Et quod inaurati terebratum cuspide teli
Sollicitum toto pectore uulnus hiat,
Sentiat arcanas obtusa in harundine uires.
Mox dolor, et questus, et labor exul eat,
Halitibusque increta meis suspiria, cumque
Languida spinoso cura satellitio.
Tunc ego uos dicam mitissima numina diuum,
Ipse deum sine quis rex quoque tristis erit,
Corque geram uestris semper penetrabile telis:
En, patet in uulnus pectus inerme nouum.
Non ego desertor fugio quae castra sequebar;
Absecuit longas spes properatus Hymen.
Ah, Hymen genus Uraniae, cur Thespia rupes
Non te detinuit, lympa nec Aonia,
Cum te nigra dies inuisa ad sacra uocabat
Et pactum infaustis coniugium alitibus,
Ipsa ubi Tisiphone taedas a funere raptas
Ferali tenuit, omina dira, manu?

Nonne fuit satius cantus haurire sororum,
Cernere uel, sacrae qua fluit humor aquae,
Veste deas posita teretes abscondere suras,
Quam miseram turpi dedere seruitio,
Et me, cui Cypris tot basia mitis alebat,
Exturbare meae bracchiolis dominae?
Quae nunc, in longa raucescens maesta querela,
Discit amatoris omina uera sui?
Heu, quae non longo meditabar gaudia ductu,
Vnde nihil, praeter somnia uana, fero!
Sic segete ex uiridi flauas praesumit aristas
Rusticus atque animo iam sua uota metit,
Vota quibus miserum grando fraudabit et imber,
Seu ualidi flatus, fulmina siue Iouis.
Sed quid ego toties fatis contendere pergo,
Quae non mutandis stant rata limitibus?
Tu, puer, o, puerique parens, Ioue nata, Dione,
Soluite me ingratis sollicitudinibus,
Et mihi, si merui, nocituras demite flammis,
Ne sim famosis fabula porticibus,
Vinosasque meo producant nomine mensas,
Ignorentque malum compita nulla meum.
Et, si quando nouo pallentem afflabitis igne,
Efficite ut miserum me iuuet esse diu,
Et mihi felices extendant gaudia curas,
Dum ueniant capiti candida fila meo.
At, quocumque mei tabescent lumine uultus,
O, saltem possim dicere, "Talis erat
Nobile quae paruo nomen sortita libello,
Prima meae spoliū Iulia mentis habet."
Interea hos elegos, primi monumenta caloris,
Accipite, et risum iungite cum gemitu,
Dicentes: "Nostri pars hic quoque parua triumphī est;
Semper amet dulci semper amore fruens."

Elegiae sollemnes tres, consequentibus tribus
post adamatam Iuliam annis, Mense
Maio Cupidini dedicatae.
ELEGIA SOLLEMNIS I.

Tempus adest iterum, quo stat pulcherrima tellus,
Effundens uariis germina seminibus.
Nigrescit uiridi uelata cacumine silua,
Garrula flebilium carmine Dauliadum;

Illa sonans tremulum Zephyro spirante, uiroris
Tempora conqueritur non diuturna sui.
Ipsa nouo Cytherea choros agit aurea mense
Nuda coronatas inter Hamadryadas,
Quas inter medius tenero pede gramina pulsat
Candidus in crocea ueste proteruus Amor.
Haec sacris nostrae semper sollemnia Musae
Tempora (di magni, sic uoluistis) erunt,
Siue peregrinum uia me deducet in orbem,
Siue sub ignoto sidere pontus aget.
Hic etenim nostros primum pallescere uultus
Mensis et euinctum uidit acerba pati,
Aligerique faces oculis gressuque fatentem
Ire uacillanti per loca sola pede,
Et dominae seruare fores, pluuiasque molestas,
Et saeuas Boreae non timuisse minas.
Vidit et ille idem carpentem gaudia mille
Lenibus ex oculis molle tuentis herae.
Ergo, puer, uenis hominum qui spicula tingis,
Inseris et maestis gaudia lacrimulis,
Haec affixa cape maternae carmina myrto,
Annua quae semper, sis modo mitis, erunt.
At uos, florenti iuuenum grex floride Maio,
Gensque puellaris deliciosa chori,
Non intellectum dum uer fugit, et fugit aeuum,
Ludite: iam glaciem bruma niuesque feret,
Canaqua subrepet taciturnis passibus Aetas,
Morsque tenebrosa nube reuincta caput.

ELEGIA SOLLEMNIS II

Et caeli facies, et rerum mitis imago,
Pictaque quae uario flore renidet humus,
Pendulaque obscuris distincta umbracula siluis,
Blandaue siluestres quae mouet aura comas,
Antraque cum Satyris fusae per opaca Napaeae,
Et puer arcitenens et Venus ipsa monet
Aduentare meis iterum sollemnia sacris.
I, puer, unguentum fer mihi, fer uiolas.
Vina coronatis spument nigrantia mensis,
Nec sine multiplici stet mihi flore caput.
Impositae fronti mecum languete, corollae.
Ad latus accedat fusca puella meum,
Quae nigris oculis et nigro crine decora
Antiquae memorem me facis efficiat,

Nec peiora meis infigat basia labris,
Serpit in amplexus nec minus apta meos
Quam quae prima suis uictum me cepit ocellis,
E fastu referens prima tropaea meo.
Vos quoque, Pierides, ad tempora laeta uocatae,
Fundite concordēs ore fauente sonos.
Primus ego ingredior, nullo de more, sacerdos
Annua nequitiae ponere sacra meae.
Transeat hic, positus immota per aëra uentis,
Et sine nube dies et sine sole graui;
Transeat hic totus sine sollicitudine mensis,
Hei mihi, de Maia qui male nomen habet.
Vel Veneri dominae, uel, si sibi legit Aprilem,
At puero Veneris debuit esse sacer;
Quamuis Maia Ioui iucundo cognita furto
Formosum peperit candida nymp̄ha deum,
Insignem neruis, insignem uoce diserta,
Conspicuumque genis, conspicuumque coma.
Ille uelit mecum materno applaudere mensi,
Implicitus multa tempora flaua rosa,
Ebriaque in longa ducens uestigia palla,
Argutum facili pollice pulset ebur,
Quem circumsiliens huc illuc crure proteruo,
Lasciuus domito uate triumphet Amor.
Atque eadem grauida depromat tela pharetra,
Quae primum uenis irrubuere meis,
Ac petulante ferox insultans uoce iacenti,
Verset in aspectu spicula nota meo.
Tunc ego commonitus iuratum soluere uotum,
Perficiam toto sacra iocosa toro.
Haec quoque quae cecini, ne quid sollemnibus absit,
Suspendam myrti carmina de foliis,
Quae strepitent teneris assuspirantia ramis,
Pulsa susurranti leniter a Zephyro.
Accedet uersus: “Vates tuus, alme Cupido,
Haec tibi pro miti dedicat imperio.”

ELEGIA SOLLEMNIS III

Ille ego, qui Maio sollemnia carmina mense
Suspendi templis, sancte Cupido, tuis,
Cum melior tellus meliore in amore teneret
Mulcentem tepido pectore dulce malum.
Nunquid ab hac poteram liber desistere cura,
Reiectus dulci tam procul a patria,

Tam procul antiquo infelix diuisus ab igne,
Qui primum nostris ossibus incaluit?
Quin etiam, te auctore, graues expertus amores
Cum fuerim et dominae regna superba nouae,
Cum mihi crudeli faceret ludibria uultu
Insultans capiti torua Neaera meo,
Certe ego si pacto iuratus stare recusem,
Vnde petam ueniam, uel tua mater erit.
Illa sua fixum conseruat in arbore carmen,
Annua deuoui quo tibi sacra, puer,
Dum mihi mansuetas afflares leniter auras.
Durus ades: duro frigeat ara deo.
An, mea si Libycas nauis ditauerit undas,
Aurea Ledaeis dona feram pueris?
Aut, ego si moriar longinquis exul in oris,
Decernam Reduci sacra opulenta Ioui?
Abnuat hoc heres, et, si sub iudice certet,
Turpiter a causa Iuppiter ipse cadet.
Vltrices igitur taedas metuemus et arcum,
Plusquam fulminei feruida tela patris?
Iuppiter, ignoscas: cedunt tua scepra nepoti,
Et trifidum pueri sub face fulmen hebet.
Illius aeternis halabunt templa corollis;
Vndabit pecudum sanguine pingue solum;
Mascula sudabunt uerbenae tura perustae,
Et focus in uiuo cespitate semper erit.
Ipse ego, nude puer, signum tibi nobile ponam,
Quale Cnidus matri seruat aquosa tuae.
Aureus in niuea ludet ceruice capillus;
Aurea cum fulua tela dabo pharetra;
Penna duplex humeris auro radiabit et arcus
Ille nocens; Parium cetera marmor erunt.
Proxima ponetur (nec erit tibi, sancte, pudori)
Vatis amatoris Iulia sculpta manu.
Interea roseo demus sua carmina Maio,
Saepius ut remeans floreat ille mihi.
Maius alit flores, Maio pulcherrimus annus
Vernat, Acidaliae gaudia Maius alit,
Spem segetis, spem Maius alit florentis Iacchi,
Spes, memini, quondam fouit et ille meas,
Et primos miseri gemitus audiuit amantis,
Et primas lacrimas uidit et indoluit.
Tunc Zephyrum socias mecum miscere querelas,
Qua tremit ignotis umbra sub arboribus,

Et tepidum lacrimas iussit siccare cadentes,
Solis ad afflatum ros uti uernus abit.
Maie, decus mensum, pastorum, Maie, uoluptas,
Diues opum, terrae luxuriantis amor,
En tibi cum puero communia sacra uolucris,
En tibi purpurea spargitur ara rosa,
Et noua cantamus sollempni carmina plausu,
Quae tibi, parue puer, quae tibi, Maie, damus.
Adsis et faueas, florum dea uersicolorum:
Te rosa, te uiolae, te thyma cana uocant.
Narcissus tibi suaue rubet, tibi lilia fulgent,
Candida uirginea lilia carpta manu,
Omnia dotales olim quaecumque per hortos
Nutrit amatoris fertilis aura tui.
Ecce tibi nostri cedit pars tertia sacri:
Linque tuos hortos, diua iocosa, ueni,
Qualis eras Zephyro, cum te, formosa, secutus
Securam pennis mollibus implicuit;
Qualis ab aetherio spectabas culmine ludos,
Quos tibi sollempnes Martia Roma dabat.
Romanis tibi pro ludis Romana Secundus
Carmina diuersa cantat in Hesperia,
Qua rutilas Tagus assiliens eiectat harenas,
Sub matutinis cantibus alituum,
Carmina spectaclis longe potiora uetustis:
Sustulit haec aetas, illa perenne manent.
O ita, cum blando, blandissima mater, Amore,
O ita, Bacche, uelis, o ita, Phoebe pater!
Semper ut illius maneant monumenta caloris,
Quem mouit tremulis ignea luminibus,
Magnum quae paruo nomen sortita libello,
Prima meae spoliolum Iulia mentis habet.